ΣΥΝ ΤΩ ΘΕΩ!

DISPUTATIO PHYSICA

Exhibens

Principia Corporis Naturalis,

Scilicet

PRIVATIONEM, MATERIAM, & FORMAM:

Quam

PRÆSIDE

Viro Nobili, Excellentiſſimo, Experientiſſimo,

DOMINO

JOHANNE LUDOVICO MOEGLINGO, PHILOSOPH. & MEDICINÆ Doctore Præclariſſimo, Phyſices ut & Matheſeos Profeſſore in Inclytâ Tubingenſium Univerſitate Celeberrimo, Patrono, Præceptore ſuo ſanctiſſimè colendo.

PRO SUMMIS MAGISTERI HONORIBUS DEMERENDIS,

Ventilationi ſiſtet,

JOHANNES DAVIDES PISTORIUS,

TUBINGENSIS.

In Auditorio Philoſophorum Hyberno,

Ad diem JanuarI,

TUBINGÆ,

TYPIS THEODORICI WERLINI

ANNO

SaLVator noſter DIſpVtatIoneM hanC proſperet.

VIRIS

Excellentiſſimo, Ampliſſimo, admodùm Reverendis, Digniſſimis, Doctiſſimis, Conſultiſſimis, &c.

DNO. GEORGIO FRIDERICO Jungen / Utr. Jur. Licentiato meritiſſimo, Summi Dicaſterii, quod Tubingæ eſt, Advocato graviſſimo, Cognato, Parentis inſtar, ſuſpiciendo.

DNO. M. MARTINO LAIBLINO, Majoris Betlingæ Paſtori Digniſſimo, Cognato chariſſimo.

DNO. M. JOSEPHO COLBIO, Meternzimmerenſium Paſtori meritiſſimo, Cognato dilectiſſimo.

DNO. M. JOHANNI COLBIO, Malmenſium Paſtori fideliſſimo, Cognato ibidem optimo.

DNO. JOHANNI Betzen / Senatori Tubingenſium eximio, Patrino ſanctè colendo.

DNO. GEORGIO FRIDERICO STURMIO, Senatori Tubingenſium & Advocato eximio, Cognato itidem peramando.

Dominis Patronis, Cognatis & Fautoribus ſuis Maximis & Optimis.

Hancce Diſputationem Gradualem

In ulteriorem ſui, ſuorumque Studiorum

STRENÆ LOCO,

Dat, dicat, dedicatque

Vt debuit, ita voluit

Johannes Davides Piſtorius,

Auth. & Reſpond.

Σὺν τῷ Θεῷ.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

ITA certè inter ſe jugiter certant Principiorum corporis ſeu rerum naturalium communium obſcuritas & jucunditas, difficultas & utilitas, ut quarum ex his victoriæ palmam ſibi vindicet, vix ac ne vix quidem cognoſcier poſſit. Quod ſi enim obſcuritatem pariter ac difficultatem eorundem ſpectes, tanta profectò ea eſt, ut multa & permagna hominum pars eâdem ducta ſeu ſeducta potius in maximos ſe ſe atque intricabiles errores, ceu in Vulcani (quod ſic proverbialiter proferunt) vincula conjecerint, eò magis ſeſe intricantes implicantesvè, quò magis atque magis explicare atque extricare ſeſe ſtuduerunt, ſcilicet de hiſce omnis Clariſſimorum Doctorum Chorus, de his innumerabilis naturæ naturatæ ſcrutatorum numerus, tot ſententiarum, conjecturarum opinionumvè magna mole congeſſit fragmenta, ut quos quare ſequaris, quosvè quibus anteferas, vix eſt ut ſcire poſſis. Idcircò ut certior denique hâc in re maximè dubiâ reddar, præſentem hancce diſputationem conſcibere & colligere placuit, ut & doctior argumentis contrariis perceptis evadam, è contrariis enim res magis eluceſcunt, juxta Philoſophorum communem canonem, *contraria juxta ſe invicem poſita magis eluceſcunt*; ut igitur felices & proſperi ſint progreſſus & conatus, CHRISTE JESULE DULCISSIME te præcibus ardentibus invoco, ut aſſiſtere mihi haud dedigneris, Spiritum tuum Sanctum mittas, quem omnia ut dirigat oro; Solâ etenim hâc aſſiſtentiâ divinâ nitor.

THESIS I.

FUerunt quippe (ut de numeri diverſitate miſſis jam aliis aliquid dicam) qui unicum poſuére principium, fuerunt qui infinita; Sed malè illi, cum compoſitionem ex numerica Principii unitate, quatenus talis eſt, nemo niſi hoſpes & Peregrinus ſeu Tyro in Philoſophia dixerit. Paulò pejus hi, qui infinita poſuerunt Principia corporis naturalis, cum infinitorum nulla prorſus (in tota rerum natura) ſit ſcientia, ut quæ ſe ultra adæquatum quod finita conſtituunt, extendere objectum potis non eſt; Iucunditatem & utilitatem ſi commendarem lucem luci adderem; Quorſum ergò per ſuperos his noſtris cum Principiis? Quouſque mea ſeſe effrenata jactat audacia, qui, quod maximè arduum eſſe ipſe proclamito audacter, ita ſuſpicio, itaque confidenter, ac ſi magnæ alicujus mihi eruditionis eſſem conſcius? Quid? In magnis voluiſſe ſat eſt.

II.

Eſſentiam autem Principiorum in frontiſpicio hujus diſquiſitionis ſiſtere efflagitat methodica ordinis neceſſitas, quam per formalem & legitimam definitionem proponi debere conſtans omnium & recepta eſt ſententia. Unde num definiri ea propriè poſſit ſciſcitanti abnutativè reſpondeo, quia omnis definitio, ſi vel talis reaptè vult ſalutari, genere debet conſtare & differentiâ propriiſſimâ quam dicunt ſpecificam, quæ generis cum differentia unio & conjunctio certam conſtituit deterrinatamque ſpeciem, unde etiam Ariſtoteli ſummo Philoſopho, ſeu bonarum definitionum Coryphæo definitiones propriè non dicuntur, niſi ſint ſpecierum propriè ſic dictarum, uti evidenter hoc colligi

ligi poteſt, ex libr. 7. Metaph. text. 13. tum quia omnem definitionem per ſe priora & notiora fieri debere notiſſimi moris eſt, quod qui hic tentare velit, non duntaxat hircum (ſic in proverbio loquuntur) mulgebit, ſed etiam album atramentum dicet, ferrum ligneum, adeòque verbo dicam ex Principiis faciet non principia; ad deſcriptionem itaque recurro, eam, quam hactenus communem habuerunt, & dico:

III.

Principia ſunt, quæ non fiunt ex aliis, neque ex ſe invicem ſunt, ſed ex quibus alia omnia. Confunduntur autem interdum, (quod ſub ratione Synonymiæ & Homonymiæ debet concipi) Principium & cauſa, ita ut eadem utriusque ſignificandi ſit vis, ſed ſi dicam quod res eſt, vel maximè differunt non enim benè reciprocè dico. Omnis cauſa eſt Principium. E. omne Principium eſt cauſa, cùm latius & ſtrictius, generalius & ſpecialius convertibiliter de ſe invicem prædicari haud poſſint. Principium autem latius & generalius eſſe causâ, quis eſt qui non intelligat? ſive enim ex aliquo aliquid fieri, eſſe, cognoſcivè (ut ita loquar) dicas ad rationem Principii jam ſufficit, ubiècontrà ad cauſalitatis formalitatem realis, inter cauſatum & cauſam cauſantem requiritur dependentia, ita ut effectus eſſe ſuum à cauſa ſibi habeat communicatũ; unde in Theologicis (quod obiter ſub ratione exempli monere volui) non malè DEUM Patrem, DEI Filii Principium, non item cauſam dixeris, ob ordinariam temporis poſteritatem effectus relati ad ſuam cauſam, dum inter Principium & Principiatum ſaltem ordinis ratione prioritatis & poſterioritas inter-

currat conceptus: Hoc eſt quod etiam vult Beatus D. Gailfuſius contemp. Met. 5. p. 82. Eſſe, inquiens, quod in divina proceſſione communicatur non manat ab alio eſſe, ſed eſt ipſum & idem numero eſſe communicantis, ideoque neque dependens, neque cauſatum, ſed communicatum à perſona producente. Proceſſio igitur hæc non eſt cauſatio. Vide eundem per totam Contempl.

IV.

Horum Principiorum ſub definitione an contineatur privatio, ſive ea formæ abſentia, quæ futura eſt, adeoque generanda, non illa quæ vel fuit vel eſſe debuit, quam logicam Philoſophi indigitant, quæſtionis quidem eſt, ſed hactenus vix ſatis expeditæ. Atque Principium quidem eam eſſe conſtitutivum per ſe nullus dixerim, ſeu corporis naturalis per ſe productivum, idque vel maximè quoniam formalis ratio privationis non entitatem involvit: Adde quod ex privatione non omnia fiant corpora naturalia, quod tamen ex Principiis veris & conſtitutivis fieri debere, antecedens theſis docet. Terminativum ſi Privationem vocas Principium non habebis ne tibi contrarium; Falſum enim eſſe judicat D. D. Sennertus Hypom. Phyſ. 1. c. 4. id quod vulgò dici ſolet, videlicet privationem, etſi non per ſe ad eſſentiam rerum generandarum pertineat, per ſe tamen ad mutationes phyſicas producendas concurrere, omnemque ab ea generationem phyſicam, ita ut ex ea quaſi forma emergat procedere.

V.

Sunt autem communia Principia conſtitutiva corporis naturalis numero duo, *Materia* ſcilicet & *Forma*, non excluſivè ſeu excluſivo illo Principio omnium

Prin-

Principiorum, de quo Ariſtoteles lib. 2. de generat. & & corrupt. cap. 10. text. 59. *Συνεπλήρωσε τὸ ὅλον* adimplevit univerſum, & alibi *ὁ Θεὸς ὄργανα ἐν ἑαυτοῖς ἡμῖν δέδωκε δύο ἐν οἷς χρησόμεθα τοῖς ἐκτὸς ὀργάνοις*: hoc eſt, DEVS inſtrumenta nobis duo dedit, quorum opera inſtrumentis extraneis uti valeremus; ante enim, quàm res omnes naturales fierent, nihil omnium dari poterit, quàm DEVS ter Optimus Maximus, qui cùm nihil eſſet, niſi ipſe, & nulla, quam vel elaboraret, vel miſceret, materia daretur, ex infinita bonitate, ſapientia & potentia, res quæ non erant, ut fierint juſſit; ipſe enim omnia in omnibus, ipſe Principium ſine Principio.

VI.

Materia eſt Principium paſſivum ex quo corpus naturale conſtituitur.

Difficillimæ cognitionis materiam eſſe multi inquiunt Philoſophi, verbisque plusquam perſpicuis aſſerunt, dicentes, nos materiam cognoſcere ignorando, & ignorare noſcendo, quibus pollicem premit noſter Gailfuſius, materiam cognoſcibilem eſſe per analogiam, quatenus ſcilicet eam intuemur ad ſenſibilem rerum artificialium materiam, non à priori, quod enim primum eſt, ejus non datur aliqua cauſa prior. Definimus autem materiam ex hypotheſi realis exiſtentiæ, non entis enim nullæ ſunt affectiones neque accidentia, cujus exiſtentiam crebrior rerum naturalium permutatio, luce meridiana clarius oſtendit, ſcilicet, nulla permutatio fit niſi in aliquo ſubjecto, quod materia eſt, nulla enim fit mutatio (inquit Philoſophus) niſi in aliquo ſubjecto, nihil per mutationem niſi ex aliquo ſubjecto;

jecto; Ex nihilo enim naturaliter nil fit, cum nulla eſſe imò ne fingi quidem proportio inter ens & non ens poſſit. Non verò ille ſum, qui præſuppoſita jam materiæ reali exiſtentiâ illis calculum adjiciam, qui omnia ex unico hoc materiali Principio fieri putavêre, ſolamque exclusâ formâ materiam rerum naturam eſſentiam & Principium ſtatuerunt, formas verò inter accidentia numerarunt, quia ut per mutationem acquirantur, ita eandem omninò perire ſoleant, quâ de re vide Ariſtotelem libr. 1. cap. 1. de generatione.

VII.

Dividitur *Materia* in *primam* & *ſecundam*, quarum illa eſt id, in quod corpora ultimò reſolvuntur; Hæc materia in determinatum jam corpus reſtricta. Primam quod nonnulli aliud nihil, quàm purum putum conceptum univerſum ab omnib9 materiis abſtractum eſſe contendunt, falſiſſimum eſt, quia conſtitueretur modus productionis naturalis ex nihilo, quod fieri non poſſe theſi præcedente dictum eſt. Et quem hoc latuit unquam? Cùm infinita inter ens & non ens ſit diſtantia ab infinitate nullius convenientiæ procedens nimirum paria ſunt ex nihilo aliquid fieri poſſe, ſtatuere, & ex conceptu mentis aliquid poſſe produci, quia entia rationis non competunt rebus ex ſua natura, ſed ex eo quod intellectus circa ea negotiatur, unde ens rationis illud dicitur, quod cum in rerum natura non ſit, mens tamen ac ſi alicubi eſſet, fingit. Gailfuſius contempl. 1. de conſtitut. Metaph. Nec placet quod æternam eam aliqui judicaverint eò, quod ſit ingenerabilis cùm non omne ἀγέννητον ſit ἀΐδιον, quamvis enim materia prima generari nequeat, nec unquam per generationem ſit facta adeoque initium, ratione

ge-

generationis non habeat, non tamen, propterea eſt æterna, ſed per creationem ſuum eſſe accepit; An autem materiæ primæ competat actus, qui alias omni enti extra cauſas conſtituto communis eſt, multùm hactenus in Scholis Philoſophorum eſt agitatum, ita ut diverſos in diverſam traxerit ſententiam; Affirmat Pererius & alii. Alii contra ſentiunt, pars utraque ſuam ad ſententiam rationibus non deſtituta. Pro cujus quæſtionis deciſione ante omnia diſtinguendum eſſe reor inter actum entis entitativum & formalem, quarum ille rem extra nihil ponit, unde entitatem ipſam cum dicit ſæpius citatus Dn. Gailfuſius Contempl. Metaph. 7. de pot. & act. Hic verò forma rei eſt, & operatio: De formali res eſt expedita quod ille materiæ primæ non competat, quippe quæ non eſt τόδε τι, ſeu ſubſtantia perfecta & determinata ſed indeterminata potius, actus enim formalis poſitio & indeterminationis ſublatio, unde materia prima neque quid, neque quantum, neque aliud quid, quod corpori ſpecificato aliàs attribui ſolet, vocari poteſt. Sed de entitativo major lis eſt. In affirmativam ego inclino ſententiam ex rationibus ſubſequentibus. I. Quia eſt à DEO creata, nullum autem à DEO creatum in quantum creatum, actu ſuo entitativo eſt deſtitutum, omne quippe ens actum entis habet, per quem eſt id quod eſt; Atqui Materia prima & ens, quâ de re ſuperius. Ergò. II. Materiæ competit ſua eſſentialis formalitas aut quia eſt materia aut per formam, ſed poſterius eſt ἄσυφον partìm quia forma non conſtituit intrinſecè aliquam naturam, in ſuo eſſe eſſentiæ, niſi componendo illam per modum actus, partim quia, ſi materia haberet ſuum eſſe eſſentiæ intrinſecè per formam, in ſuo eſſentiali con-

ceptu includeret formam; Atqui hoc etiam eſt falſum, aliàs enim potentia vocari, non poſſet. Quemadmodum autem aliud eſt, eſſe actum, & aliud eſt eſſe actu, ita quoque aliud eſt eſſe potentiam, aliud eſſe in potentia, ut eleganter pro more Calovius Metaph. gener. tract. 1. cap. 4. num. 4. Et ex eo Gailfuſius contempl. Metaph. 1. Illo determinatur ens disjunctivè, quatenus vel actuat vel actuatur: Hoc entis diverſus ſtatꝰ, indigitatur, quo vel poteſt exiſtere, vel exiſtit. Materia ſecunda verò ſeu variè qualificata pro corporum varietate variè variat, ita ut alia ſit materia cœli, alia Elementorum, alia roſæ, alia rutæ, &c. Vide omninò Gailfuſium Contempl. Phyſ. 1.

VIII.

Forma ſequitur quæ eſt Principiū activum per quod corpus naturale conſtituitur. Id quod importat ejus cauſalitas cujus officium primarium eſt dare τὸ eſſe, de qua graviſſima hinc atque hinc in doctorum palæſtra agitatur quæſtio; An è materiæ potentia educatur? Quod nobis fieri non videtur, idque quia DEUM in primæva hujus univerſi creatione omnibus naturalibus materiam & formam dediſſe ſuam conſtat, abinde ergò vis multiplicativa benedictioni divinæ ſuperædificata. Quid? Quod hoc modo conceſsâ formæ è materia eductione, vix eſt ut formam pro Principio vendicare poſſimus, cum principiati potius ſic naturam induat; unde placet illatio Sperlingii in Synopſ. Phyſic. pag. (ni fallor) 19. & 20. Ubi hunc verè in modum concludit. Illud quod materiæ potentiam dicis, aut ejuſdem eſt ſubſtantia, aut accidens; Si ſubſtantiam, in formam certè non mu-

tatur; ſed corpori velut pars eſſentialis ineſt; Si accidens tunc certè in ſubſtantiam mutari non poteſt, cùm ne mille quidem accidentia pro unica ſufficiant ſubſtantia; Huc uſque Sperlingius.

IX.

Dividitur communiter in *formam genericam* & *ſpecificam*. Cujus diviſionis membra, uti ceu adæquatè cognoſco, ita explicationem cumprimis genericæ formæ ceu in congruam reprobandam eſſe arbitror, præcipuè cum multorum ſententiæ (quantum ego quidem cognoſcere poſſum) eò unicè tendant, ut forma generica actu ſuo entitativo in totum ferè privetur, adeoque ex ente reali, ens rationis & per conſequens non ens conſtituatur, eſt ergò ſalvo aliorum calculo, hæc hâc de re mens mea, quod quemadmodum datur materia catholica, quam paulò ante primam vocavimus; Ita etiam datur forma ſimiliter catholica, æquè latè ſe extendens atque extendit ſe hæc ipſa materia prima.

X.

Specificam formam quod concernit, ea ipſa nihil aliud eſt, quam forma ſpeciem conſtituens, & operationes producens. ſc. quadruplex eſt officium formæ. I. Eſt *conſtitutivum*, per formam enim res eſt id quod eſt, unde Forma hoc ſenſu haud malè ipſa rei eſſentia ſalutari debet, quò facit tritum illud forma dat eſſe rei: II. *Diſtinctivum* quicquid enim rem principaliter in eſſe ſpecificum conſtituit, id diſtinguit, atque forma, &c. E. III. *Denominativũ*, hæc enim in certam & determinatam collocat claſſem. IV. *Operativum* quod ex ejusdem definitione conſtat, unde eam etiam Principium activum diximꝰ theſi 8. Huc facit illud Ariſt. 1. Phyſ. c. 4. text. 81. ubi formam eſſe dicit bonum quid, & reſpectu materia divinum, quibus verbis ſic explicatè denotare voluit id, quod ante etiam innuimus, nempe quòd per formam corpus naturale reddatur efficax ad operandum; ſi enim corpus naturale forma præditum non foret, tanquam divino bono quodam utique jaceret inſtar cadaveris, & nobi-

lem nullam edere operationem poſſet, ſicuti videmus cadaver hominis propter abſentiā animæ nullam plane edere actionē, ſed immobile & ſolummodo paſſivum eſſe.

I.

Ad Eximium Doctiſſimumq́;

DN. RESPONDENTEM.

ÆDificans ſi firma jacit fundamina prima,
Fida ſuperſtruitur moles operumque perennis:
Sic dum multa coquit PISTORI Principii TE
Cura, exoptati ſuccreſcet gloria Finis.

Boni ominis ergò f.

PRÆSES.

II.

I*N Te præceſſit doctæ* privatio *formæ:*
Succedat Docti forma, *videto, Viri.*

Præfiſcini appoſ.

M. IOHANN-ULRICUS ZELLER,
Calv. L. L. Cultor.

III.

SCrutatur *cauſas* rerum *Piſtorius* omnes,
Riteque defendit, gratulor indè *Tibi.*

IOHANNES SCHMID, Biberac.
t.t. Phil. Cand.

IV.

Ὥσπερ σιτοποιὸς τοὺς πυροὺς δὴ μάλα πέττει,
Ἄγρυπνος μοχθῶν, πολλάκις ὑπνομαχῶν·
οὗτος ἀτρεκέως φράζω χρόνον οὐδένα λείπεις,
Εἰν ὅτῳ οὐ σπουδῆς, ἄλφιτα μήτε μισεῖς.

GEORGIUS BALTHASARUS RAITH,
Philoſ. Stud.

V.

CUM Tibi jam Phyſicæ ſit tanta ſcientia divæ
Excellens olim quantus eris Phyſicus?

IOHANNES ULRICUS PREGIZER.

VI.

PISTORES panem: TUA verò induſtria famam
EST PISTURA: TUI PISTOR honoris eris.

IOHANN-MATTHÆUS BAUR.

FINIS.